

est in sententia interlocutoria, atque appellatione ab ea : tum quia per hanc non expirat officium iudicis a quo respectu illius causæ, quinimo potest adhuc in ea procedere, dummodo revocaverit gravamen, c. *Cum cessante*. 60. h. t.; tum quia in appellatione ab interlocutoria debet exprimi, causa rationabilis, ob quam appellatur, c. *Ut debitus*. 59. h. t. Unde sicut hac non expressa non valet appellatio ab interlocutoria, ita nec habet virtutem irritandi postea innovata, nisi fuerit justificata; vel saltem præcesserit inhibito iudicis ad quem, juxta textum proxime allegatum.

265. *Attendata pendente appellatione a diffinita, sunt revocanda per iudicem ad quem* — Quæritur. III. Per quem iudicem attendata pendente appellatione sint revocanda? Resp. I. Attendata pendente appellatione a diffinitiva, sunt revocanda per iudicem ad quem. Ita textus cit. c. *Non solum*. h. t. in 6. ibi: «Innovata post appellationem a diffinitiva sententia interjectam, debent semper ante omnia per appellationis iudicem penitus revocari.» Concordat textus in l. *Ei cujus*. ff. de *Appellation. recipiend.* Abbas, in c. *Sollicitudinem*. 54. n. 1. not. 3. et Francus. ibid. n. 3. h. t. et Sigism. Scaccia. quæst. 11. de *Appellation.* n. 18. istud extendentes, adeo, ut alius iudex non possit cognoscere de innovatis post appellationem, si attendata tangant articulum appellationis, etiamsi hoc ageretur ad petitionem appellantis, et favet textus in cit. c. *Sollicitudinem*. Nec immerito: nam qui de principali cognoscit, potest, ac debet etiam cognoscere de accessorio, c. *Accessorium*. 42. de *Reg. jur.* in 6. Atqui causa revocandi attendata, est accessoria ad causam appellationis, utpote a qua dependet ergo.

266. *Limitatur istud in certis casibus; et quibus?* — Intellige, nisi appellans velit renunciare appellationi: ut cit. c. *Sollicitudinem*. § fin. h. t. ac notat Abbas, et Francus, et Scaccia, ubi supra. Vel nisi attendata, sint notorie injusta. Abbas, ibid. Scaccia, d. quæst. 11. n. 20 et 21. Quibus adde casus illos, in quibus jure permittente potest iudex a quo aliquid innovare, non obstante appellatione, juxta dicta paulo superius n. 253. et 254. Ulterius datam conclusionem intellige de «appellatione a diffinitiva,» utpote de qua expresse loquitur: nam quod iudex a quo possit revocare sententiam interlocutoriam, et consequenter etiam attendata post appellationem ab eadem interpositam, si saniori

velit uli iudicio; patet ex c. *Cum cessante*. 60. h. t. estque jam sæpius dictum, præsertim supra § 7. n. 229. Tandem diverso modo revocanda esse attendata post diffinitivam, et attendata post interlocutoriam sententiam, constat ex c. *Non solum*. 7. h. t. in 6. juncto summario, et doctores ibid. et proxime dictis n. 261. 263. et 264.

267. *Refertur decretum sac. congregationis circa materiam appellationum.* — Quæritur IV. Quid censendum sit de decreto sac. congregationis circa materiam appellationum emanato? Resp. Circa materiam præsentis tituli, præter alia hæctenus dicta, et in posterum dicenda, simulque ad majorem eorundem confirmationem, vel maxime observanda est declaratio sacræ episcoporum congregationis, die 16 octobris, 1600. edita, et a Clemente VIII. approbata: eamque per extensum refert Quaranta, in *Summa Bullarum*. §. *Archiepiscopi auctoritas*. in *Addit. Piasecius in Praxi Episcopali*. part. II. cap. IV. art. 15. de *Appellat.* n. 5. Aloys. Riccius, part. I. *Praxis Rerum Ecclesiast.* resol. 414. Tenor ejusdem est, ut sequitur.

«Ad tollendas ambiguitates, et controversias jurisdictionales, quæ inter appellationum et prioris instantiæ iudices, non sine partium dispendio, cursusque justitiæ impedimento, et sæpe cum scandalo oriuntur; Sacra congregatio causis episcoporum præposita, facta prius relatione sanctiss. D. N. Clementi papæ VIII ac de Sanctitatis suæ mandato, vivæ vocis oraculo desuper habito, in hunc, qui sequitur, modum, ab omnibus ad quos spectat, in posterum servari debere mandavit, et mandat.

«Metropolitani, archiepiscopi, primates, aut patriarchæ, suffraganeos eorumque subditos non iudicent, nisi in casibus a jure expressis.

«Iidem et alii, quivis superiores, etiam nuncii, vel legati de latere specificam facultatem majorem non habentes, causas in curiis ordinariorum, vel aliorum, inferiorum iudicum pendentes ad se non advocent, nisi per viam legitimæ appellationis ad ipsorum tribunalia deferantur: tuncque appellantes ab inferiorum jurisdictionibus, quoad alias causas eximi non possint.

«Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, prius constiterit, appellationem a sententia diffinitiva, vel habente vim diffinitivæ, aut gravamine, quod per diffinitivam

reparari non possit in casibus a Jure non prohibitis, per legitimam personam, et intra debita tempora fuisse interpositam, ac prosecutam.

«Dum causæ coram inferioribus iudicibus pendent, ante diffinitivam sententiam, vel habentem vim diffinitivæ, de gravamine illo superiores cognoscere non valeant, licet citra præjudicium cursus causarum se id facere contestentur; nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut simpliciter mandare ut ipsius copia processus transmittatur etiam expensis appellantis.

«Inhibitiones post appellationem, sicut præmittitur receptam, non concedatur, nisi cum insertione tenoris sententiæ, aut decreti diffinitivi, aut vim diffinitivi habentis, vel damnum per diffinitivam irreparabile continentis: alias inhibitiones, et processus, et inde secuta quæcunque sint ipso jure nulla, eisque impune non parere liceat.

«Si appellans asserat, sententiæ, aut appellationis exemplum culpa iudicis a quo, aut actuarii haberi non posse, non ideo recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibito concedenda: sed eis tantum, ad quos pertinet, injungi poterit, ut soluta condigna mercede, actorum exemplum authenticum appellanti intra brevem aliquem competentem terminum tradatur. Caveat tamen iudex a quo, ne si vere appellatum fuerit in casu appellabili, interim aliquid in præjudicium appellantis attentet; et si per actum publicum, aut per testium depositiones constiterit, acta denegari appellanti, iudex appellanti, iudex appellationis mandato tradendi acta possit adjudicare, ne interim aliquid novi contra appellantem attentetur.

«A sententia autem diffinitiva contra verum contumacem prolata, appellatio non recipiatur; nec inhibito, aut alia quævis provisio, quoad appellans in hujusmodi vera contumacia perstiterit, concedatur.

«Ab executione decretorum sac. conc. Trident. aut visitationis apostolicæ, appellationes a Metropolitanis non recipiantur neque etiam quando Episcopi virtute ejusdem sac. concilii Trident. procedunt, ubi Sedis apostolicæ delegati in causis, quæ sub eorum jurisdictione ordinaria non comprehenduntur; salva tamen in hoc casu Legatorum, et Nunciorum apostolicorum auctoritate.

«In causis vero visitationis ordinariorum, aut correctionis morum, quoad effectum devolutivum tantum appellationes admittantur;

nisi de gravamine per definitivam irreparabili agatur, vel cum visitator citata parte, et adhibita causæ cognitione judicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum suspensivum.

«Cum a gravamine, quod per diffinitivam reparari nequit, ut indebitæ incarcerationis, vel torturæ, aut excommunicationis etiam comminatæ appellatur, non nisi visis, ex quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibito, vel provisio aliqua concedatur.

«Causa appellationis pendente appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, quoad iudex, ad quem appellatum est, visis actis, et causa cognita, aliter decreverit. Et tunc, si a iudicis ad quem decreto, vim diffinitivæ habente fuerit appellatum, is nihil mandare, aut pro sui decreti executione attentare poterit, donec per iudicem superiorem aliud fuerit ordinatum.

«Acta originalia possessum primæ instantiæ, ad iudicem appellationis notarius mittere non cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa et suspicio incidat, quæ judicialiter obijciatur; et tunc terminata causa, remittenda sunt ad ordinarium, ut in suo archivio conserventur.

«Censura ecclesiastica contra appellantem prolata, relaxari, aut nulla declarari per iudicem non possit, nisi auditis partibus, et causa cognita; tuncque si constiterit eam justam esse, ad iudicem, qui excommunicavit, appellans remittendus est, ut ab ipso, juxta sacros canones, beneficium absolutio- nis, si humiliter petierit, debitamque emendationem præstiterit, obtineat: si vero injustam esse clare appareat, obtineat, superior absolutionem impendat. Si autem dubitatur, honestius est, ut ad excommunicatorem, intra brevem aliquem competendum terminum eidem præfigendum, absolvendus remittatur, licet etiam superior hoc casu idipsum per se præstare jure possit.

«Absolutio ad cautelam, non nisi parte citata, et visis actis, cum dubitatur nullitate excommunicationis ab homine prolatae dubium juris, concedenda erit, tuncque ad tempus breve cum reincidentia, et præstita per excommunicatum cautione de stando juri, et parendo mandatis Ecclesiæ tantum: et si juxta formam a jure præscriptam apparebit, aliquem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem præstare. Si vero ob contuma-

ciam manifestam, expensas quoque reficere, ac insuper cavere de iudicio sisti coram excommunicatore quis teneatur, priusquam ad cautelam absolvatur. Romæ in sacra congregatione die 16. octobris. 1600.

« ALEX. CARD. FLORENT.
« Hieron. Agutius Secret. »

§ X.

DE CASIBUS, IN QUIBUS JURA PROHIBENT APPELLARE : UBI PLURA DE CLAUSULA, APPELLATIONE REMOTA.

268. *Dantur nonnulli casus, in quibus jura litigantibus denegant appellationem. Referuntur versiculi eisdem complectentes.* — Quæritur I. An, et qui sint casus illi, in quibus jure prohibente appellari nequit? Resp. I. Certum est, atque ab omnibus concessum, dari nonnullos casus, in quibus jura litigantibus denegant appellationem. Textus quippe expressus istud tradit in cap. *Non solum*. § 1. h. t. in 6. ibi : « Exceptis casibus, in quibus Jura post sententiam prohibent appellare. » Ubi Glossa *ŷ. Casibus*, plures tales enumerat, quos alia Glossa in c. *Romana*. eod. in 6. certis versiculis complecti nititur : qui tamen auctius, simulque melius, comprehendendo videlicet quindecim tales casus, ab aliis memorie gratia sic formantur.

Appellare vetant scelus, excellentia, pactum, Arbitrium, fatale, aut si dilatio nulla. Clausula, quæ removet, res quæ notoria constat. Corrige, contemptus, possessio, jus quoque clarum. Post executio, minima, et res longius acta.

269. *Hi ipsi casus patientur quasdam limitationes.* — Fatendum tamen, quod hi ipsis casus nonnullas patientur exceptiones, atque in ipsis locum habeat appellatio, quando quis injuste sese gravatum senserit : præsertim, si possit in continenti justam causam appellationis, atque illati gravaminis allegare, per quam elidatur præsumptio juris, quæ stat contra appellantem in dictis casibus exceptis, seu prohibitis; uti jam dictum est supra § 4. n. 111. et amplius patebit ex dicendis. Unde

270. *Declarantur singuli casus in specie. Ob Scelus prohibetur quis appellare, quando de eo convictus, et confessus est.* — Quæritur II. Quomodo intelligendi sint singuli casus excepti, atque in relatis versiculis comprehensi? Resp. Eisdem prosequendo, prout stant in relatis versiculis. Et primo quidem, per ly « Scelus, » intelligitur causa criminalis criminali-

ter mota : nam in hac non admittitur appellatio, postquam de crimine quis convictus est, et confessus, l. II. c. *Quorum appellationes non recipiantur*. Vel saltem in iudicio sponte confessus est, et nullam in sua appellatione allegat causam obfuscativam factæ a se confessionis; uti vult Farinacius, lib. III. *Praxis Criminalis*. quæst. 101. n. 157. et seqq. citans plurimos alios : et concordant dicta superius tit. XVIII. de *Confessis*. § 3. n. 67. 68. et seqq.

271. *Secus, quando de scelere non sic constat.* — Quod si vero de scelere commisso non sic constet, tunc ille, qui de crimine impetitur, bene appellare potest; « nisi forte manifestus raptor, vel fornicator existat, » per textum in c. *Cum sit Romana*. 5. § fin. h. t. juncto c. *Pervenit*. 13. et c. *Consuluit*. 14. eod. Concordat jus civile l. *Non tantum*, ff. de *Appellat.* ubi non solum illi, qui de crimine condemnatus ad supplicium dicitur, appellare licet; verum etiam quilibet alius pro eo, etiam invito, provocare potest : idque ex ratione humanitatis, ac pietatis.

272. *Interest reipublicæ, crimina non manere impunita. De consuetudine Germaniæ non admittuntur ad appellandum damnati in causa criminali.* — Eadem regula, sive quod ob « Scelus » non admittatur appellatio, confirmatur ex l. *Constitutiones*. ff. h. t. ubi dicitur, constitutiones de recipiendis appellationibus « locum non habere in eorum persona, quos damnatos statim puniri, publice interest : ut sunt insignes latrones, vel seditionum concitatores, vel duces factionum. » Intellige cum Glossa fin. ibid. si modo sint convicti, et confessi; ut l. II. c. *Quorum appellationes non recipi*. vel, ut alii volunt, saltem convicti. Nam, ut in allegato textu notanter dicitur, « publice interest » (hoc est, ad publicam Reipublicæ quietem, atque indemnitate pertinet) crimina, præsertim tam atrocia, et communitati perniciosa non manere impunita. Et hac ratione Layman c. *Quærenti*. n. 2. de *Offic. delegat.* atque Engel, h. t. n. 26. cum aliis notant, quod ex generali, atque inveterata totius Germaniæ consuetudine non admittitur ad appellandum damnati in causa criminali, cujus pœna est corporis afflictiva : cum experientia testes compertum fuerit, Reos ordinarie tantum ad differendum iudicium appellatione, pluraque crimina mansisse impunita. His adde dicta superius tit. præced. § 6. n. 161. et 162.

273. *Excellentia iudicis supremi impedit*

appellationem. Remissive. — Secundo per ly, « Excellentia, » denotatur excellentia iudicis supremi; ut puta papæ, concilii generalis, imperatoris, regis- ac hujusmodi. Nam ab his appellare non posse, constat ex dictis supra § 2. 42. et seqq.

274. *Pactum appellare vetat.* — Tertio, « Pactum » appellare vetat eos, qui in iudicio transegerunt; ut cap. 1. et ult. de *Transact.* et l. *Causas*. et l. *Non minorem*. c. eod. Item, qui causam per delationem juramenti voluntarii, aut judicialis terminarunt; de quo supra tit. XXIV. de *Jurejurando*. § 5. et 6. per totum.

275. *Appellare prohibetur, qui expresse, vel tacite appellationi renuntiat.* — Insuper ex hoc capite appellare prohibetur, qui expresse, vel tacite, appellationi renuntiavit. Expresse quidem, v. g. pacto interveniente, de acquiescendo sententiæ iudicis, et non appellando; ut l. ult. § fin. c. de *Temporib. appellat.* et l. I. ff. *A quibus appellare non licet*, ibi : « Si quis ante sententiam professus fuerit, se a iudice non provocaturum; indubitate provocandi auxilium perdidit; » estque jam dictum supra § 2. n. 51. Tacite vero, exercendo actum contrarium appellationi, sicque approbando ipso facto sententiam contra se latam; ut c. *Sollicitudinem*. 54. § fin. h. t. et c. *Cum venisset*. 25. de *Testib.* et c. *Gratum*. 20. de *Offic. delegat.* cum similibus. Siquidem juri suo renuntiare præsumitur, qui eidem contrarium facit; per jura citata, et fusius probat Glossa fin. in cit. c. *Gratum*. Pirhing, h. t. n. 26. et alii.

276. *Arbitrium impedit appellationem.* — Quarto impedit appellationem *Arbitrium*. Nam si qui, prætermisso iudice ordinario, compromiserunt in arbitrium (quod intellige de arbitrio voluntario, non autem de arbitrio juris, sive necessario) tenentur stare ejus arbitrio, neque appellare possunt ab eo, dummodo non contineat manifestam iniquitatem per partes non remissibilem: uti habetur l. I. c. de *Recept. arbitris*, ibi : « Ex sententiâ arbitri, ex compromissis o jure perfecto aditi, appellari non potest. » Concordat textus in can. *A Judicibus*. 2. q. 6. juncto c. *Non sine*. 2. § fin. de *Arbitris*. Et merito, nam tales de injuria iudicis sibi facta conqueri non possunt; sed omnia suis pactionibus et compromisso voluntario, imputare debent.

277. *Fatalia tollunt potestatem postea appellandi.* — « Fatalia » appellationis tum interponendæ intra decendium, tum introducen-

dæ, et prosequendæ, ac finiendæ tempore legitimo, si non observentur, tollunt potestatem postea appellandi; prout uberius supra § 6. per totum dictum fuit.

278. *Quando Dilatio nulla datur appellare non licet, idque exemplificatur.* — Sexto, appellare non licet, quando « Dilatio nulla » datur : hoc est, « quando res dilationem non recipit, non permittitur appellare : veluti ne testamentum aperiatur, ne frumentum in usum militum, in annonæ subsidia, contrahatur » et hujusmodi; prout statuitur, atque exemplificatur l. ult. ff. de *Appellatione recipiend.* Talia siquidem, admissa appellatione, aut præjudicium grave inferrent, aut penitus interirent, sicque dilationem non recipiunt : et, cum sit periculum in mora, non admittunt appellationem, saltem non quoad effectum suspensivum.

279. *Clausula Appellatione remota, impedit appellationem.* — Septimo, « Clausula quæ removet » (hoc est, quando cuipiam a Principe delegatur causa cum addita clausula, ut in causa illa procedat « Appellatione remota ») impedit appellationem. Textus est in l. I. § fin. ff. *A quibus appellare non licet*. et c. *Pastoralis*. 53. h. t. ubi papa desuper consultus respondet, quod per hujusmodi clausulam non solum appellatio frustratoria videatur inhibita, utpote per quam cæterorum negotium non debet impediri : sed etiam « quælibet provocatio intelligatur removeri, quæ a jure non indulgetur expresse. »

280. *Soli principi supremo competit delegare causam sub clausula, Appellatione remota. Et quid de legato a latere?* — Additur notanter ly, « a principe. » Soli enim principi supremo, puta papæ, vel Imperatori competit, contra leges communes, omnibus appellationem permittentibus, delegare cuipiam causam cum clausula, « Appellatione remota : » juxta l. I. ff. *A quibus appellare non licet*. Adeo, ut nullus inferior Principe hac clausula uti possit; Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. de *Appellat.* n. 337. Barbosa, tract. de *Clausulis*, claus. 9. n. 2. citans alios. Ac etiam legatus a latere non possit sub illa clausula subdelegare, c. *Super questionum*. 27. § *Si vero*. de *Offic. delegat.* Nisi id specialiter ei fuerit concessum, Barbosa, loc. cit. n. 3. post Marches. de *Commiss.*, part. I. cap. VIII. n. 77.

281. *Appellatio est species defensionis. Et quomodo nihilominus a principe possit removeri?* — Dices. Appellatio est species defensionis, c. *Cum speciali*. 61. § *Porro*. h. t. Atqui de-